



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

V. De peccatorum numero digoscendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

C A P V T V.

De Peccatorum numero dignoscendo.

20. **Q**uoniammodo peccatorum numerum dignoscet? 1. Non sunt tot numeri peccata, quot sunt obiecta circa quae unus & idem actus eodem tempore versatur; quia plura obiecta eiusdem rationis vicem unius gerunt. Quare detrahens, v. gr. de pluribus uno actu, unius tantum peccati detractionis est reus. 2. Tot sunt numero peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti, quando idem nec moraliter, nec formaliter perseverat. v. gr. actus odij, quod Petrus heri commisit, distinctum odium est ab eo, quod hodie fuit. At qui proficiscitur ad furandum, vel occidendum, & in via voluntatem furandi, aut occidendi saepius repetit, non dicitur plura peccata committere; quia eiusmodi actus interrupti non censentur. 3. Peccata specie distinguuntur per ordinem ad diuersas specie perfectiones, queis priuant; quia priuato specificatur a forma cuius priuatio est. Non distinguuntur autem per ordinem ad diuersa præcepta, quibus aliquid præcipitur, aut prohibetur ex eodem motu; alioquin desiderium rei alienæ & furtum rei alienæ essent peccata specie diuersa: cum alterum septimo, alterum decimo præcepto prohibetur. Porro si peccata prohibita sint pluribus præceptis ex diuersis motiis, specie distinguuntur; quia diuersis opponuntur virtutibus, & perfectionibus. v. gr. Sacerdos in actum venereum consentiens duo peccata committit; actus enim venereus prohibitus est. Sacerdoti diuersis præceptis ex diuerso motu conditis, scilicet ex motu castitatis, & ex motu Religionis, ad quain spectat votum, quod per actum venereum violatur. At qui eo die Quadragesimæ, in quem quatuor tempora incident, non ieunat, duplii dicto non illigatur; quia duo illa præcepta ex eodem motu Temperantiae iejunium indicunt.

21. **N**um duplex peccatum perpetret, qui violat id quod castum ex duplice præcepto ex eodem motu, sed uno præcepto simplici, altero vero adiunctam excommunicationem habente? Non; quia excommunicatione per se loquendo, nouam specie malitiam peccato non adiicit.

C A P .